



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Phocas M. 22. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

## S. PHOCAS M. 22. Septembris.

**H**ORTUM PHOCAS dum vixit con-  
 luit. Horti pulcherrimam rosam  
 ipsum non male horti cultorem dixe-  
 ro, tunc præcipue, ubi suo se sanguine  
 rigavit. Cæterum patria illi Sinope  
 fuit, ferax olim philosophorum urbs,  
 quibus quidem omnibus vel opum vel  
 mortis contemptu certavit olitor no-  
 ster. Etenim quidquid hortus ferebat,  
 prudentius PHOCAS in miseros  
 hospitesque, quàm ille olim in mare  
 abiecit, iam verò pro Christo moriens  
 haud paulò elegantius Christianæ phi-  
 losophiæ sanguine, quàm nostrates  
 philosophi atramento, subscripsit. Sed  
 audite vos qui fortiter declamatis,  
 molliter morimini, in lectulis & men-  
 sis sapientes. Adfunt spiculatores, qui  
 PHOCAM ad gladium quærunt.  
 Tecto, mensâ hic ipse excipit, & hospi-  
 talitatis tesseram securus cum hostibus  
 communicat. Interea quærunt hi quis  
 PHOCAS? ubi agat? quibus con-  
 siliis capi, necari possit? Nimirum ait  
 PHOCAS hunc nulli æquè ac sibi  
 notum, nec longè abesse, & verò poste-  
 ro die traditurum se PHOCAM si-  
 ne turbis in manus ipsorum. Interim  
 tumultum sibi parat suus pridie Vespil-  
 lō, postridie proditor. Cohorruere sa-  
 tellites, & Iovem hospitem reveriti,  
 manus

manus hospitis sui sanguine lavare reformidarunt. Sed ille nullam aliam symbolam quàm eadem suam oravit. Accepit ergo hanc, & tumulto suo effudit. Noverat jam, noverat resurgere flores terrâ obrutos. *Ex Sur.*

S. EMMERANVS M. ET P.  
22. Septembris.

Ortum hoc sidus in Aquitaniâ effudit diu Bojarix, sed nunquam clariùs, quàm cum occidit. Res in hunc modum gesta. Vta Theodonis IV. Bojorum Ducis filia, dum stupri consuetudinem cum Sigebaldo juvenecaterâ nobili habet, ecce uterus intumescens scelus prodit, ipsa E. M. M. E. R. A. N. O, dum patrem eum dicit, mortem parit. Landbertus enim Vtgermanus scalarum radiis illigato manuum pedumque digitos, aures item naresque & quæ natura velavit, articulatim omnia præsecat, eruit oculos, linguam denique stirpitus avellit. Sed etiam sine hac cū loqueretur EMMERANVS, quid aliud loquebatur, quàm innocentem se mori? quid? Terra & illa quæ sanguinis imbres biberat, & illa quæ tumultum prima dederat, nunquam non virenti cespite lata; aër qui ipsos XL. dies nefas flevit, quod homo fecerat; undæ Danubii & ipsæ cæli lacrimis exundantes, lampadum ignes, qui